

bus hanc boni descriptionem: *Bonum est id, quod omnia appetunt, retulit, suoque calculo comprobavit.*

§. 13. Multa hinc habent, quæ obijciant. Posset enim ita quis colligere. Quicquid voluntas appetit id bonum est. Voluntas appetit vitium. E. vitium bonum est. Major stabiliri potest nostris concessis, quando scilicet posuimus, Objectum Voluntatis esse tantum bonum. Minorem cotidie probat experientia. Unde enim tanta tam frequens vitiorum cacoëthes, unde fornicationes, rapinæ, furta, cædes, &c. nisi à libera voluntate proficiscantur? Et sanè si nihil virtutis nomine dignum est, nisi quod à Voluntate libera provenit: ita nihil ignominiosum vitii nomen merebitur, nisi quod ab eadem derivetur. Verùm ad hoc quid respondendum sit, jamjam ex supra dictis dispalescit: Scilicet major ex parte prædicati erit limitanda h. m. Quicquid voluntas appetit, illud est bonum vel verum vel apprens. Sic limitata majore, conclusio non erit falsa. Potest siquidem quodvis vitium esse bonum apparenter tale, quatenus scilicet voluntas in illud fertur sub ratione alicujus boni, sive illud sit utile, ut e. g. cædes, furtum, sive jucundum, ut scortatio, crapulatio &c. Hinc eleganter Seneca Ep. 69. *Nullum, inquit, sine auctoramento malum est, avaritia pecuniam promittit, luxuria multas ac varias voluptates, ambitio purpuram, & plausum, & ex hoc potentiam, & quicquid potentia potest. Mercede te vitia sollicitant.*

§. 14. Non planè nullum quoque negotium nobis faceffunt ipsi αὐτόχρητες, quorum sanè Voluntas, dum ex semetipsis longas faciunt literas, appetere videtur malum, prout malum est. Et, ut taceam Mutium Scævolum, qui sciens & prudens dextram igni injectam torruit, ut nihil dicam de M. Curtio, qui sese suâ sponte in hiantem terram coniecit eques, id ipsum quoque decantatisimò suò facinore

D d

ratum